

Joh. Franciscci
De oculorum
fabricatione et coloribus
liber.

Witeb., 1556.


10, -269

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 629 8° copy 1




Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 629 8° copy 1


Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 629 8° copy 1



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 629 8° copy 1




Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 629 8° copy 1


Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 629 8° copy 1

183

D
LO
TI
BVS
NE



VVI

LN 629
ex. 1
M



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 629 8° copy 1

DE OCVLORVM FABRICATIONE ET COLORIBVS LIBER ELEGIACO CARMINE CONSCRIPTVS, AVTORE IOHANNE FRANCISCO RIPENSI.





VVITEBERGÆ EXCVDEBANT HÆREDES GEORGII RHAVV, ANNO M. D. LVI.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 629 8° copy 1

M. IOHAN. MAIOR Ioach.

HÆC cum Mercurius monſtraſſet carmina diuis,
Quæ celebrant dignis lucida membra modis:
Sol oculus mundi lætatus carmine uiſo,
Flore ſuo Vatem uult decorare ſuum.
Tum doluit Plutus ſolum ſe luce carere,
Qui teneat ſolus quas habet orbis opes.
Atq; ait, ô utinam liceat me luce potiri
Vt uideam docti carmen & ora uiri:
Huic ego, qui cæcus non dignis munera dono,
Ex opibus ferrem prœmia digna meis.





Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 629 8° copy 1

CLARISSIMO VIRO EXIMIA STEMMATIS NOBILITAte, doctrina atq; uirtutibus ornato, D. Iohanni Frys R. M. summo Cancellario.



EVM NOBIS TAM propè ut manibus penè contrectari posſit adeſſe conſtat: D. Mecœnas reuerende. Imo in ſingulis humani corporis particulis myſterium & potentiam eius ſparſam eſſe perſpicimus. Quod quidem præcipuè in mira oculorum ſtructura & compoſitione cerni & animaduerti poteſt. Qui pulcherrimam cœli machinam intuentes, uarios ſuperiorum corporum motus notantes, uariaq; in Elementis abſcondita perſcrutantes, nos in agnitionem Dei

 ducunt.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 629 8° copy 1

ducunt. Quare Galenus diuina nomi=
nauit membra. Verè diuina qnæ lucis
usu uitam à morte distinguunt, Et
quanto uisus reliquis sensibus præstan=
tior est, Tanto quoqꝫ oculi reliqua
membra excellunt. Longè enim plures
quam reliqui sensus rerum differentias
nobis ostendunt & demonstrant.

Cæterum quo oculi præstantio=
res & nobiliores sunt, tantum actio=
nes eorum in natura minus penitus
perspici possunt, hic iure cum Aristo=
tele nobis conquirendum est, huma=
nas mentes, oculi naturam aspicientes,
uelut noctuas in diurna luce caligare.
Quid quæso magis in tota rerum natu=
ra, mentes nostras, quam consideratio,
& inquisitio naturæ luminis in oculo,
effugit? Modum quidem uisionis
utcunqꝫ foris aspicimus, sed in causa,
cur sic fiat, perscrutanda, mens nostra
se naturæ opificium nō perspicere fate=
tur. Vt enim in speculo reflexione radi=
orum

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 629 8° copy 1

orum ad uiſum fiunt imagines. Sic quoq; radij rei uiſæ, in oculis collecti, mentibus noſtris, de ſeſe imagines, uelut in ſpeculo, imprimunt: progredi ulterius humani non eſt ingenij.

Hæc tam ſubtilis materia, ut in diuerſas partes diſputarent, ſummis philoſophis anſam præbuit. Quidam uiſionem fieri, radijs ex oculo emiſſis, ferientibus & comprehendentibus obiecta ſentiunt. Hanc rationem uel eò non ueriſimilem eſſe conſtat, quod uiſum excellentia uiſibilia lædunt, id, ſi extra oculum fieret uiſio, contingere non poſſet, Vel eò quod oculos tantam ſpirituum copiam, ut remota obiecta, cœlum, ſolem, lunam, & reliquas Planetas, pertingant, effundere poſſe impoſſibile ſit. Compertum enim eſt aciem oculorum naturaliter affectorum, non læſam nec uiciatam, aut ullis obſtaculis impeditam, uix ultra quatuor noſtratium miliarium ſpacium à

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 629 8° copy 1

nobis extendi. Qua itaq; ratione stel-las in Firmamento octauæ Sphæræ, quæ uicies mille semidiametris terræ, octoginta una cum dimidia ferè, à ter-ra distant, uisus capiet? Rectè igitur Aristoteles priori sententiæ refragatur, & cum Opticis, uisum in medio perspi-cuo ad oculum fieri, dicit. Nam in ocu-lo, non extra oculum fieri necesse est.

Huius diuini membri partes pro ingenij mei modulo, qua potui facilita-te enumeraui, simul eiusdem colorum significationem addidi, unde certa in-dicia ægritudinum, et affectuum animi cerni & deprehendi possunt. Quis est qui tantarum rerum cognitionem, cum ad sanitatem utilis, Tum ad mo-res cuiusq; in communi uita, cognos-cendos necessaria, exploratam habere non desideret? Sicut Platone teste, Oculus est fenestra animæ. Ita expresse actiones eius, tanquam in tabella de-pictas cernendas exhibet. Vt Cicero de

Ora-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 629 8° copy 1

Oratore inquit. Oculi ſunt quorum tùm intentione, tùm remiſſione, tùm coniectu, tùm hilaritate motus animorum ſignificamus, Cum tanta ſit oculorum & mentis συμπάθεια, horum conſiderationem utilem & neceſſariam eſſe nemo dubitat.

Inſuper Mecœnas præclariſſime, non tuæ præſtantiæ mirum uideatur, quod hoc breue & incompoſitum Carmen, ſub tui nominis auſpicio, in publicum emitto, Volui enim hac tenui lucubratione ſpecimen, & ſtudiorum & gratitudinis tibi debitæ oſtendere, hoc ut boni conſulas, & ſerena fronte accipias, meq́ꝫ tibi commendatum habeas reuerenter oro. Vale, & T. P. quam diutiſſimè in gloriam Dei & totius Regni utilitatem Deus Opt. Max. conſeruet. Datæ VVitebergæ Idibus Martij. Anno 1556.

Tuæ præſtantiæ addictiſ.

Iohan. Fran. Rip.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 629 8° copy 1

DE OCV-
LORVM FABRICA-
TIONE ET COLORI-
BVS LIBER.

NOnne iuuat uarias rerum cognoscere causas?
Et qualis subiti temporis ordo manet?
Nunc subit aurati pecoris cum uellera Titan,
Ver roseũ decorat floribus arua nouis.
Cernitur æstiuis plenus nunc campus aristis,
Cum Sol apricos lumine torret agros.
Cumq; pari sequitur pendentem pondere libram,
Frigidus Autumnus dulcia uina refert.
Iungitur at Phœbo quando Neptunia proles,
Albentes nimio frigore durat aquas.
Quis sit qui tanta non mobilitate mouetur?
Huius si cerebro quid rationis inest.
Candida prætereo splendentis lumina cœli,
Omni quam certa tempore lege meant.
Harum præstatur nobis aspectio rerum,
Solius uisus munere (dante Deo)
Quin igitur facilis mihi sis nunc Musa canenti
Incœpti fautrix sis precor alma mei.

Dum

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 629 8° copy 1

Dum diuina meæ depingunt membra Camœnæ,
Quis positus, partes, forma, figura, color.
Este procul Satyri, nymphæ procul este salaces,
Hoc aliud nostrum numen habebit opus.
Non habet hoc Veneris lasciuos carmen amores,
Nec resonat pharetras, dire Cupido tuas.
Te precor immensum sacro qui numine cœlum,
Christe Palestino sanguine nate, regis.
In mea uota ueni teneris conatibus addens
Subsidium: ductor carminis esto mei.
Te sine non largo promanat flumine uena:
Est nullus fœlix te nisi dante labor.
Ipse quidem toto calamos conamine ducam,
Cætera sit menti cura relicta tuæ.
Hic tua res agitur tua non memoranda potestas
Cernitur, hic formæ lucet imago tuæ.
Nil natura sagax oculis præstantius unquam
Finxit, uel maius format in orbe decus.
A nece distinguunt uitam nam luminis usu,
Qua sine non hominis nomine dignus homo est.
Affectus hominum quoq; certa lege figurant,
Quo sint ingenio temperieq; docent.
Siue boni obiecti cor dilatatur amore,
Tristis siue ferit pectora mœsta dolor.
Siue Venus cupidum miserè conturbat amantem,
Indicium certum lumina clara dabunt.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 629 8° copy 1

Hinc fit præſtantum quod maxima turba Sophorum
Eſſe animæ ſedem uitrea membra uolunt.
Nam nunc ſplendeſcunt; rident, nunc triſtia fiunt,
Iam nictant, languent, iam uelut igne micant.
Dulcia coniunctis cum carpimus oſcula labris,
Reſpondent contrà lumina luminibus.
Non ſecus intuitu uicino corda mouentur,
Mentem quàm digitis ſi tetigiſſe queas.
Cumq́; profunda tenet dubiam meditatio mentem,
Nil oculi, dicas, utilitatis habent.
Sic quorum morbo ſtringuntur membra caduco,
Nil oculus quamuis lucis apertus habet.
Ergò refert medica uir ſummus in arte Galenus,
Formatum propter lumina noſtra caput.
Nam uelut excelſa uigilans ſpeculator ab arce
Vndiq́; proſpectu rura remota petit.
Sic oculi retinent capitolia ſumma, remoto
Vt melius cenant ſingula quæq́; loco.
His ſpacium rutili uaſtum metimur Olympi,
Quicquid habet tellus quicquid & unda refert.
Hoc ſenſu miſeri, quod ſi ſpoliabimur, omne
Et ſtudium prorſus corruit, atq́; decus.
Organa præterea quàm ſint hæc nobile donum,
Dicat qui roſeo lumine captus erit.
An non ciuili mox propulſatur honore,
Omnibus & ueluti truncus habetur iners.

Horum

Horum ſed fruſtrà conamur dicere laudes,
Sunt infinitæ commoditatis opus.
Et prius æquoreas aliquis numerabit arenas,
Quotq́; micant rutilo candida ſigna polo.
Dicere quàm laudes quas lumina noſtra merentur,
Hæc etenim nobis commoda plura ferunt.
Has igitur tandem laudes ô Muſa relinque,
Et nunc propoſitam carpere perge uiam.

DE SITV.

CVM ſitus incœpti primus ſit in ordine noſtri,
Iam prior hoc ipſum dicere cura ſubit.
Luminibus poſitum tribuit natura ſupremum,
Iure quibus ſummum fecit habere locum.
Vt procul ex oculis radij mittantur acuti,
Lumine perluſtrent quo loca lata ſuo.
Iungere quo poſſent udo ſua membra cerebro,
Frigore quod iuſto membra propinqua fouet.
Illo ceu proprio ſeruantur lumina ſenſu,
Nam ſimilis ſimilem ſeruat amatq́; ſui.
Eſt udæ cerebrum gelidæ quoq́; temperiei,
Temperiem hoc referunt lumina more ſuam.
Ergò ne calidis cauſis lædantur ocelli,
Eſt iunctum cerebrum membra calore leuans.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 629 8° copy 1

Ex quo deſcendunt tenues per lumina nerui,
Cernendi per quos conficiatur opus.
Prima trahunt cerebro noſtri primordia ſenſus,
Eſt igitur ſedes ſenſibus apta caput.
Corporis haud poterant tam prompta parte locari,
Et locus & poſitus non magis aptus erat.
Sunt reliquæ craſſo completæ ſanguine partes,
Qui facili ſenſus lædere ſorte queant.
Cunctarum uoluit rerum ſine carne creatrix,
Iſta perfectum conditione caput.
Ne caput immenſo premeret non pondere preſſum,
Læderet immodico neue calore caro.
Aptè præterea retinent & lumina frontem,
Proceſſus recti quod ratione probo.
Cum ſequitur motus directas ordine partes
Cernimus hac greſſum quo facit ille ſuum.
Naturalis adhæc abſoluitur actio nulla,
Si non directo tramite fiat iter.
Bina ſed inquiras inſunt cur lumina fronti,
Sic reſponſa tibi noſtra thalia dabit.
Omnibus in toto geminæ ſunt corpore ſedes,
Poſtremo ſenſu ſenſibus abſq; datæ.
Sunt aures geminæ, dantur quoq; lumina bina
Sunt nares binæ, lingua bifurca datur.
Senſibus hoc differt reliquis ſed nomine tactus,
Non duo ſed ſimplex organa tactus habet.

DE

LVmina ſuprema frontis cauitate locata,
Officij præſtant munera mille ſui.
Veſtiuitq́; tribus natura liquoribus, atq́;
Iſtud quintuplici tegmine texit opus.
Partibus eſt reliquis humor præſtantior unus,
Nomen Cryſtalli qui glacialis habet.
Hac ex qua ſplendet Cryſtallus parte uidemus,
Primùm depictum quem tibi Muſa dabit.
Hic medias oculi partes ſibi uendicat humor,
Cingentes reliquos ſorte ſalutis habet,
Cumq́; queant cunctas hi non depellere ſordes,
Obſtant alterius ceu nocumenta mali,
Sunt data natura ſolerti tegmina quina,
Ne lædant oculos aſpera quæq́; cauent.
Eſt quoq́; flexibilis, ueluti, Cryſtallinus humor,
Vt queat impreſſam, cæra, referre notam.
Albicat in media rutilat, ſplendetq́; pupilla,
Vt melius ſpecies quaſq́; referre queat,
Candida ceu uarios capiunt cryſtalla colores,
Propoſitæ & referunt corpora quæq́; rei.
Hic humor tanto quandoq́; nitore refulget,
Vt fulgens extra lumina ſplendor eat.
Noctiuagæ feles, quoq́; ſunt animantia plura
Teſtes, quæ cæca nocte uidere queunt.

Hic

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 629 8° copy 1

Hic quod prima liquor præbet primordia uisus,
Omnibus est doctis res bene nota uiris.
Firmior in toto pars est nam lumine nulla,
Clarior in reliquis nec magis ulla nitet.
Peruenit ex clara firma quoq; uisio parte
Illa cur uisum parte uenire neges?
Est alius, uitro similis quoq; desuper humor,
Hunc omni cingunt undiq; parte locum.
Vitreus aut nunquam Crystalli more refulget
Naturæ mediæ semina certa sapit.
Inseritur uitreo prorsus Crystallinus, auro
Vt quando geritur lucida gemma nouo.
Hunc usum uitreo tribuit natura liquori,
Hic reliquis & plus partibus ignis habet.
Vt uicina suo refocillet membra calore,
Innatæ quæ plus frigiditatis habent.
Ordine iam sequitur postremo tertius humor,
Illius nomen frigida Lympha facit.
Luminis humani partes hic irrigat omnes,
Ne premeret nimius lumina fortè calor.
Huic præclara suas coniungit aranea partes,
Atq; suum iungit cornea dura latus.
Est multus uarias ut pellat lumine sordes,
Si qua parum fausto numine noxa uenit.
Verum quo certo spacio seruare liquores,
Posset & incerta ne ratione fluant.

Hos

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 629 8° copy 1

Hos natura ſagax circumdedit agmine quino,
Quæ firmant caſtris lumina noſtra ſuis.
Coniunctum primum quo conſpicis ordine tegmen,
Luminibus mira colligat arte caput.
Panniculo nitidæ ſumit primordia frontis,
Ad curuam corupæ ſpargitur usq; rotam.
Hinc ſequitur poſitu nunc cornea dura ſecundo,
Cuius principium dura Meninga refert.
Lamina ceu cornu ſplendet pellucida facta,
Robore nil forti nilq́; calore minor.
Ordine contiguas iſti facit Vuea ſedes,
Principium primum Matre minore petit.
Iſtius media comparet parte foramen,
Dicitur à doctis ſæpe pupilla uiris.
Ambitus accepit Thaumantis prole pupillæ
Nomen, quod uarij ſæpe coloris erit.
Hinc eſt uiſiui quoq́; dilatatio nerui,
Quem poteris quarto dinumerare loco.
Eſt piſcatoris uox reti facta, ſagenam
Artifices nomen contribuêre uiri.
Splendida poſtremum memoratur aranea tegmen,
Exuperat ſpeculum luciditate nouum.
Reddere quo poterit præuiſas ante figuras,
Illud præſtanti luciditate nitet.
Sic partes oculi tenui dictante Minerua,
Luſit non paribus noſtra Thalia modis.

DE

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 629 8° copy 1

QVis rogo uel formas oculorum, siue figuras,
Nescit ni claro lumine captus erit?
Ergò quid frustrà fit mentio, Musa, figuræ,
Materies ullum non fugit illa uirum.
Musa, sed ô dubitas? oculum decet esse rotundum.
Lumine quo capiat corpora magna suo.
Induat alterius formam quamcunq; figuræ,
Plana sit aut oculi torta figura tui.
Æquales capiet tantum pro mole figuras,
Rem planam tantum plana pupilla refert.
Rem quamcunq; uides mensurat linea recta,
Ad certum recto tramite ducta locum.
Ergo superficies fuerit si plana, subintrant
In uisus tantum corpora plana tuos.
Quo caperent cunctas formarum lumina moles,
Conueniens primum forma rotunda fuit.
Ista figura simul uarijs est motibus apta,
Flectuntur uarijs lumina nostra modis.
Hanc igitur formam quis non contenderit aptam,
Perfectum motum sphærica forma refert.

DE COLORIBVS.

VLtima sit species uariorum cura colorum,
Luminis incœpti Musa referre tui.

Vnde

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 629 8° copy 1

Vnde licet certos animæ cognoſcere motus,
Qua patitur uarias mens ratione uices.
Lumina ſplendentes nam ſunt ceu noſtra lucernæ,
Picta uelut per quas mentis imago datur.
Hinc fit quod mores animi cuiuſq; ſequuntur,
Praui ſiue boni corporis harmoniam.
Horum firma manet nam conſuetudo duorum,
Alter in alterius ſerpit amatq; πάθος.
Flaua ſiue nigra corpus quod bile redundat,
Stulticiæ præſens hoc regit ira comes.
Sin capitur triſti mens ægritudine contrà,
Affectus tales debile corpus habet.
Quælibet humani ſequitur coniunctio membri
Vana quod haud quaquam ſignificata refert.
Temperies animæ quod lumina noſtra ſequuntur,
Indicium mentis certius iſta dabunt.
Plurima ſed teneris quoniam ſpectantur ocellis,
Ne fallant oculos talia ſigna tuos.
Quæ ſit perpendas oculorum forma, figura,
Quis palpebrarum ſit ſitus atq; color.
Sicca magis fuerint aut humiditate laborent,
Lumina clara magis, ſeu tenebroſa magis.
Indicium quamuis non falſum ſingula præſtant,
Hac tamen indicium tu ratione feras.
Omnia reſpondent quod ſi uel plurima ſigna,
Hæc rata ſigna fide non dubitante refer.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 629 8° copy 1

Singula fortè sibi si contrà signa repugnant,
Ad quod, iudicium, mens magè pendet, erit.
Vt si sanguinei cupias per signa Neronis,
Scrutari mores ingeniumq; malum.
Totius harmoniam proponas corporis, unde
Quæsitum facili scire labore queas.
Cæsia distorta referebat lumina fronte,
In quibus exiguum luciditatis erat.
Proiectus uenter, densa pinguedine ceruix,
Et rara tenues carne fuêre pedes.
Sed iustam corpus referebat penè staturam,
Quod uariæ plenum sordiditatis erat.
Molles & flaui cinxerunt ora capilli:
Hæc est incæsti picta figura uiri.
Agrestem timidamq; notant hæc lumina mentem,
Accusant cupidæ crimen auaritiæ.
Venter, obæsa simul ceruix, subtilia crura,
Fœmineos mores luxuriamq; notant.
Hic quantum reliquos superabas, dire, tuarum
Gestarum rerum facta nefanda probant.
Non puduit Thalamum matris uitiare iugalem:
Cætera sunt isto non memoranda loco.
Sed color & maculæ lacerato in corpore fœdus,
Te nimis ostendunt impia facta sequi.
At flaui quoniam sunt excrementa capilli,
Hi leuiora dabunt omina nempe tibi.

Sic

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 629 8° copy 1

Sic ubi conueniunt oculorum plurima signa,
Iudicium firma non ratione caret.
Corporis at pugnant oculorum signa colore,
Illi sæpe solet maior inesse fides.
Hos igitur tandem dicas, ô Musa, colores,
Et cuiusq; simul significata refer.
Cœsius atq; niger, rauus, caprinus, aquinus,
Et qui cæruleo sydere nomen habet.
Cæsius aut glaucus distinguitur ordine trino,
Qui sequitur glaucum signa timoris habet.
Qui sequitur uiridis formam quamcunq; coloris,
Denotat agrestes moribus, ingenio.
Postremus formam comitatur pinguis oliui,
Arguit egregium magnanimumq; uirum.
Lumina quæ turpi sordent nigredine, fraudem
Mollitiemq; leuem significare solent.
Iusta, sed urbanos mores, aciemq; nigredo
Mentis coniunctam fraude doloq; refert.
Lumina si fuerint rauo dispersa colore,
Concauitatis item si mediocris erunt.
Præclarum signant præstanti robore, durum
Qui non Strymonij ferre recusat onus.
Perfrictæ frontis designant lumina iusto
Si plus flauescunt, absq; pudore, uirum.
Illud confirmat castæ sacra turba Dianæ,
Anne aliquis canibus cernitur esse pudor?

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 629 8° copy 1

Conſpicitur capris cum barbigeriſq; capellis,
Caprinus capris nomen habere uolunt.
Hic inter reliquos præcedit iure colores,
Hunc plus ſydereæ luciditatis ineſt.
Moribus inſignes color hic uirtutibus auctos,
Et ſolet ingenuos ſignificare uiros.
Hunc quamuis comitem quidam docuêre colorem
Stulticiæ & ſtupidos ſignificare uiros.
Hunc ouibus falſa tribuunt hi ſorte colorem,
Qui uerè capris attribuendus erat.
Eſt ouium ſtultum, timidum genus atq; profanum,
Mentem ſolertem fata dedêre capris.
De grege caprarum ſi quis comprenderit unam,
In captam reliquæ lumina fixa tenent.
Auxilium captæ reliquæ quaſi ferre uolentes,
Conſtat prudentes hac ratione capros.
Adde quod in Creta iaculis, læſaſq; ſagittis,
Pellere dictamno ſpicula cruda ſtudent.
Ergò caprinis qui conſpiciuntur ocellis,
Hi uirtute pari conſilioq; ualent.
Talia cunctarum rerum natura creatrix,
Præbuit Actæo lumina clara ſeni.
Talibus Æmathijs uir cernebatur ocellis,
Cui non ſufficiens maximus orbis erat.
Ordine numc tandem color hos comitatur aquinus,
Multum plus reliquis humiditatis habet.

Hic

Hic notat ignauos ſtupidos & mente carentes,
Si ſimul emineant lumina fuſca genis.
Cæruleus nimia color humiditate redundat,
Sollicitæ ſignum præbet auaritiæ.
Laſciuos Veneris promptus ſectatur amores,
Lumina qui tali tincta colore refert.
Hæc ſint de uarijs oculorum dicta figuris,
Quæ nunc ſummatim, parua camœna refert.
Lumina quæ pallent uarij ſunt atq; coloris,
Deſignat uaria ſuſpicione uirum.
Verùm quæ nimio fulgent ſplendore, Cupido
Hunc tua prædicunt turpia caſtra ſequi.
At qui deſtinctis maculis ſignantur ocelli,
Moribus eſt duris ingenioq; uafro.
Si maculæ rubræ circumdant atq; pupillam,
Oſtendunt multum fellis habere uirum.
Lumina quæ maculis deſtincta rubedine ſordent,
Incantatorem ſignificare puta.
Si fuerint nigri quoq; fului, luminis orbes,
His iuncta ſignis humiditate pari.
Signant egregium, iuſtum, uirtuteq; clarum,
Atq; notant uarijs pectora plena bonis.
Orbes ſi fuerint tenui nigredine ſparſi,
Circulus & turpi non ſine ſorde uiret.
Iniuſtum timidum ſignant, furemq; doloſum,
Qui tacito ſæuum pectore uulnus habet.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 629 8° copy 1

Lumina quæ cernis, uarij, quoq; sicca, coloris,
Perpetuo credas significare malum.
Humida quæ cernis iusta formaq; figura,
Et fuerint media si cauitate, bonum.
Excellunt oculi magna qui mole, bouinum
Ingenium: Tauris aßimilare queas.
Sed qui subtili uel parua mole laborant,
Hoc simulator habet Simius ora modo,
Lumina designant rubicundo tincta colore,
Dulcia sectantem dona Lyæa uirum.
Verùm quæ cernis nebulosis sparsa tenebris,
Huius ceu uicijs pectora plena caue.
Hunc uenerare uirum magnum, iustumq;, benignum,
Cuius sunt nitidis lumina clara genis.
Non oculos stantes uolo, nec qui sæpè mouentur,
Tales non fidos furciferosq; notant.
Si quibus humiditas excedit, non sine laude,
Artes sectantur, docta Minerua, tuas.
Sic cecini quæ sint laudes & luminis usus,
Quis positus, partes, forma, figura, color.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 629 8° copy 1

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 629 8° copy 1